

ad illud se digne præparando. Tertius modus, ait D. Thom., est per hoc, quod aliter celebrat sacramentum, non servans ritum Ecclesiæ, quod quidem magis videtur ad ministrum, quam ad suscipientem pertinere, potest tamen in suscipientem redundare, si ipse velit eo ritu accipere, et aut ministrum inducat, aut alio modo cooperetur illi; erit autem hæc fictio sacramento contraria, si mutatio illa sit in ritu essentiali; si vero sit solum in accidentali, erit tantum contraria effectui, dummodo sit in re gravi, quæ ad peccatum mortale sufficiat. Unde constat, omnes hos fictionis modos, quod ad rationem fictionis attinet, esse materialiter diversos, posseque in infinitum multiplicari juxta varia peccatorum genera. Quartus ergo modus est proprius formalis, atque universalis, scilicet, quando quis indevote accedit. Declarat autem D. Thom. in solut. ad 3, indevote accedere, idem esse, quod suspicere sacramentum cum voluntate adhærente alicui peccato mortali, ubi statim occurrebat difficultas, qualem necesse sit esse hujusmodi inhæSIONem, et an interdum sufficiat solum originale peccatum, sed de hac re disseremus disputatione sequenti.

## ARTICULUS X.

Utrum fictione recedente, baptismus suum effectum consequatur (4, dist. 4, quæst. 3, art. 2, quæst. 3, et dist. 17, quæst. 3, art. 2, quæst. 1).

1. Ad decimum sic proceditur. Videtur, quod fictione recedente baptismus suum effectum non consequatur. Opus enim mortuum, quod est sine charitate, non potest unquam vivificari. Sed ille, qui fictus accedit ad baptismum, recipit sacramentum sine charitate. Ergo nunquam potest vivificari hoc modo, ut gratiam conferat.

2. Præterea, fictio videtur esse fortior, quam baptismus, cum impediatur ejus effectum. Sed fortius non tollitur a debiliore. Ergo peccatum fictionis non potest tolli per baptismum fictione impeditum. Et sic baptismus non consequatur suum effectum, qui est remissio omnium peccatorum.

3. Præterea, contingit, quod aliquis fictus accedat ad baptismum et post baptismum multa peccata committat, quæ tamen per baptismum non tolluntur, quia baptismus tollit peccata præterita, non futura. Ergo baptismus talis nunquam consequatur suum effectum, qui est remissio omnium peccatorum.

Sed contra est, quod August. dicit, in libro 1 de Baptismo (contra Donat., cap. 12): Tunc valere incipit ad salutem baptismus, cum illa fictio veraci confessione recesserit, quæ, corde in malitia vel sacrilegio perseverante, peccatorum ablutionem non sinebat fieri.

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est (quæst. 66, art. 9), baptismus est quædam spiritualis regeneratio. Cum autem aliquid generatur, simul cum forma recipit effectum formæ, nisi sit aliquid impediens, quo remoto, forma rei generatæ perficit suum effectum, sicut simul cum corpore grave generatur, movetur deorsum, nisi sit aliquid prohibens, quo remoto, statim incipit moveri deorsum. Et similiter, quando aliquis baptizatur, accipit characterem quasi formam, et consequitur proprium effectum, qui est gratia remittens omnia peccata; impeditur autem quandoque per fictionem, unde oportet, quod remota ea per pœnitentiam, baptismus statim consequatur suum effectum.

Ad 1 ergo dicendum, quod sacramentum baptismi est opus Dei et non hominis. Et ideo non est mortuum in ficto, qui sine charitate baptizatur.

Ad 2, dicendum, quod fictio non removetur per baptismum, sed per pœnitentiam subsequentem, qua remota baptismus aufert culpam et reatum omnium peccatorum præcedentium baptismum, et etiam simul existentium cum baptismum. Unde Augustinus dicit in libro 1 de Baptismo parvulorum (cap. 8, tom. 7, habetur de Consecr., dist. 4, c. 40, in fine): Solvitur hesternus dies, et quidquid superest solvitur, etiam ipsa hora momentumque ante baptismum et in baptismum; deinceps autem continuo reus esse incipit. Et sic ad baptismi effectum consequendum concurrunt baptismus et pœnitentia, sed baptismus sicut causa per se agens, pœnitentia sicut causa per accidens, id est, removens prohibens.

Ad 3, dicendum, quod effectus baptismi non est tollere peccata futura, sed præsentia vel præterita. Et ideo recedente fictione, peccata sequentia remittuntur quidem, sed per pœnitentiam, non per baptismum. Unde non remittuntur quantum ad totum reatum, sicut peccata præcedentia baptismum.

## COMMENTARIUS.

Materia hujus articuli amplissima est, et difficilis, tam in reddenda propria ratione,

## SECTIO I.

Utrum baptismus requirat aliquam dispositionem ad suum effectum.

4. Quæstio hæc solum habet locum in adultis, ut supra notavi; nam infantes non sunt capaces dispositionis propriæ; per infantes autem intelliguntur omnes, qui nunquam ratione uti potuerunt, etiam si grandioris ætatis sint; et e converso adulti dicuntur omnes, qui aliquando habuerunt usum rationis, quamvis contingat esse amentes vel furiosos eo tempore, quo baptizantur. Rursus movetur quæstio de effectu gratiæ sanctificantis, et remissionis peccati, atque aliorum donorum, quæ ad hunc ordinem spectant; nam de effectu characteris certa res est, nullam postulare dispositionem præter voluntatem suscipiendi sacramentum, quia hæc voluntas sufficit ad veritatem sacramenti; non potest autem esse verum sacramentum baptismi, quin conferat effectum characteris; hæc enim de causa iterari non potest, et ideo non potest major dispositio requiri ad effectum characteris, quam ad veritatem sacramenti. Nos autem supponimus verum sacramentum suscipi, et consequenter hominem accedere cum sufficienti voluntate recipiendi sacramentum atque ita recipere characterem ejus; inquiremus autem, an ad recipiendum ulteriorem effectum alia dispositio necessaria sit.

2. Error Lutheranorum. — Ad præterea, totam quæstionem esse de dispositione voluntatis; nam inter Catholicos, imo etiam inter hæreticos nulla controversia est, quin ex parte intellectus, sit necessaria fides, quia ut ad Hebr. 11, inquit Paulus, sine fide impossibile est placere Deo; est enim totius justitiæ fundamentum, et ideo Christus Dominus, Matthæi ult., præcipit discipulis, ut prius doceant omnes gentes, deinde eos baptizarent, quia necesse est ut fides antecedit baptismum, fides autem est ex auditu; ac simili modo Marci ultimo dixit Christus: Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; est ergo necessaria fides, et illa sine dubio sufficit ex parte intellectus. Difficultas solum est, an ex parte voluntatis aliqua alia dispositio requiratur. Lutherani negant, quia putant fidem sufficere ad omnem justitiam; quod in præsentem confirmant ex citatis verbis Marci ult.: Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. In quibus præter baptismum, nihil aliud ad salutem postulat, nisi fides. Non-

et necessitate hujus effectus, qui, ut D. Thomas docet, tribuitur ratione baptismi ficti recepti, recedente fictione, quam in explicando modo, quo hic effectus redeat, et quomodo sit tollenda fictio, quod D. Thom. attingit in solutione ad secundum et tertium; quapropter de his statim fusius agemus. Circa contextum autem D. Thomæ dubitat Cajetanus de illa proportionem, qua comparantur character et gratia, formæ et proprietati, seu perfectioni, quæ consequitur formam; nam potius gratia videtur se habere, ut præcipua forma in esse supernaturali; character autem est veluti dispositio, vel certe tanquam proprietatis quædam, quæ consequitur gratiam medio sacramento. Sed non oportet multum immorari in hujusmodi congruentiis, quæ solum fundantur in analogia quædam et proportionem. Non est ergo mens D. Thomæ, in re ipsa gratiam ex natura sua consequi ad characterem, tanquam ad formam; nam constat non ita esse, ut probat ratio facta, et quia character solum est signum quoddam commune bonis et malis; tamen quia hoc signum datum est, ut homines consecrentur in membra Christi, et profiteantur legem ejus; gratia vero datur, ut sint viva membra, et ut per eam juventur ad jugum Christi ferendum; ideo ex intentione Christi instituentis, gratia semper comitatur characterem, si ex parte suscipientis non sit impedimentum; atque hoc satis est ad dictam proportionem.

## DISPUTATIO XXVIII.

DE DISPOSITIONE AD EFFECTUM BAPTISMI NECESSARIA ET VARIETATE EFFECTUS, QUÆ INDE CONSEQUITUR.

Utrum effectus baptismi necessario a sua causa prodeat. — Postquam dictum est de effectu baptismi, et de necessitate talis causæ ad hujusmodi effectum, dicendum sequitur de necessitate emanationis talis effectus a tali causa, scilicet, an semper ab illa prodeat, vel possit interdum impedi; unde consequenter constabit, an hic effectus sit semper omnino idem, et invariabilis, an vero possit major et minor inveniri; totum autem hoc pendet ex dispositione recipientis; et ideo ab hac quæstione incipiendum nobis est.



nulli etiam ex Scholasticis solum requirunt ex parte voluntatis, ut actualiter non sit affecta alicui peccato mortali, et quod velit subdi baptismo, et recipere illum. Ita solet tribui Scoto in 4, dist. 14, quæst. 4, art. 3, ubi inquit, non requiri, nisi voluntariam susceptionem baptismi sine fictione hoc est, cum intentione suscipiendi quod confert Ecclesia, et sine actu, vel voluntate peccati mortalis. Et quamvis inferius videatur requirere motum aliquem displicentiæ seu attritionis, tamen non loquitur de sacramento baptismi, sed pœnitentiæ, in quo videtur aliquid amplius exigere, quam in baptismo; favet etiam Cajetanus infra, quæst. 86, art. 2, dubio ult., circa solut. ad 1, ubi dicit, in baptismo non requiri propositum emendæ, in qua ratio formalis pœnitentiæ consistit; sed baptismum, in quantum includit voluntatem suscipiendi ipsum in remissionem peccatorum, includere sufficiens propositum emendæ, quia qui vult subijci baptismo, et fatetur se peccasse, et detestatur priorem vitam, moriendo illi, et subijcit se Deo, ut novum Christi membrum. Sentit ergo Cajetanus, ipsam voluntatem suscipiendi baptismum in remissionem peccatorum esse virtuales pœnitentiæ, et consequenter esse sufficientem dispositionem ad justitiam per baptismum obtinendam, et adducit Cajetanus in confirmationem suæ sententiæ dictum Ambrosii ad Rom. 11: *Gratia Dei in baptismo gratis omnia condonat, nullumque luctum requirit*; sed Ambrosius ibi non dicit, hæc præstare baptismum sine ulla dispositione hominis. Magis videtur favere, l. 3 de Sacram., c. ult., dicens: *Qui venit ad baptismum, etiam si non confiteatur peccatum, in hoc ipso implet confessionem omnium peccatorum, quod baptizari petit, ut justificetur.*

3. *Secunda sententia.* — *Originale non remittitur sine aliis peccatis mortalibus.* — *Rejicitur Gabrielis sententia.* — *In quo differant generatio Adæ et regeneratio Christi.* — Secunda sententia hic referri potest, quam docet Gabriel in 2, d. 32, quæst. 1, ubi distinguit inter effectum remissionis peccati originalis, et infusionem gratiæ, ac remissionem peccatorum actualium; et ad primum effectum dicit sufficere voluntatem suscipiendi baptismum; ad alios vero requiri aliquam aliam dispositionem. Unde infert, si quis accedat ad baptismum cum intentione suscipiendi illum, et cum complacentia alicujus peccati mortalis, consequi remissionem peccati originalis,

non vero gratiam, nec remissionem peccati mortalis. Qua distinctione nihil cogitari potuit improbabilius, magisque contrarium catholice doctrinæ. Constat enim peccatum originale non remitti sine infusione gratiæ, ut fere apertis verbis definit Concil. Trident., sess. 6. Ubi docet, peccatum, in quo homo nascitur filius Adæ, non remitti, nisi per justificationem, quæ est translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ et adoptionis filiorum Dei; quam translationem dicit fieri in baptismo per infusionem gratiæ et donorum, tanquam per formalem causam. Atque hinc fit peccatum originale nunquam remitti sine aliis peccatis mortalibus, ut plane supponit Concilium in tota illa sessione, et ideo indifferenter loquitur de remissione peccatorum, quæ hominem constituunt Deo inimicum, inter quæ computatur peccatum originale, nam est vera mors animæ, ut idem Concilium definit sess. 5, can. 2, et ideo, cap. 5, concludit, *per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismo confertur, reatum originalis peccati remitti, ac tolli totum id, quod veram ac propriam peccati rationem habet.* Nulli ergo remittitur peccatum originale, nisi cui divina gratia confertur; divina autem gratia nullum peccatum mortale secum admittit; ergo remissio omnium peccatorum mortalium necessario conjuncta est cum remissione peccati originalis, ratione divinæ gratiæ, et justitiæ. Sicut enim est certum, unum peccatum mortale non remitti sine alio, quia nullum remittitur sine infusione gratiæ, cui quodlibet peccatum mortale repugnat, ita non remittitur peccatum originale sine mortalibus, quia tam constituit hominem Deo inimicum, tamque per divinam gratiam et sanctitatem tollendum est, sicut mortale. Repugnat igitur catholica doctrinæ, quod Gabriel ait de remissione originalis peccati sine mortalibus et sine infusione gratiæ, et consequenter etiam repugnat, aliquam dispositionem sufficere ad remissionem peccati originalis sine mortali, quando illa duo conjuncta sunt. Nec Gabriel habuit probabile fundamentum ad illam distinctionem excogitandam; nullum enim inconveniens est illud quod infert, aliquem esse vere baptizatum, cui non sit remissum peccatum originale, propter obicem, quem posuit; nam licet ille sit regeneratus in Christo, quoad veram sacramenti susceptionem, et quoad impressionem characteris, qui propter hanc causam comparatur formæ per generationem in-

ductæ, ut in Commentario art. 10 diximus, non tamen necesse est, ut susceperit omnes effectus hujus regenerationis, si ex parte subiecti non est sufficiens dispositio. Et in hoc est differentia inter generationem Adæ, et regenerationem Christi, nam generatio ex Adamo nunquam fit sine transfusione peccati, quam homo genitus impedire non potest, sed solus Deus, singulari gratia præveniendi; at vero regeneratio in Christo non semper fit cum infusione gratiæ, sed potest ab ipso suscipiente impediri; et ratio differentiæ est clara, quia regeneratio in Christo spiritualis et voluntaria fit per propriam generati voluntatem, si sit capax illius, et ideo per eandem voluntatem potest ponere obicem effectui illius; at vero generatio ex Adamo est mere naturalis, et independens in se, et in omnibus, quæ per illam communicantur, a propria voluntate ipsius geniti, et ideo non potest per illam impediri transfusio peccati. Majori quidem probabilitatis specie posset hæc distinctio in hunc modum assignari: dupliciter enim posset adultus ad baptismum accedere, uno modo cum solo peccato originali absque ullo actuali mortali; non enim repugnat, aliquem pervenientem ad usum rationis perseverare aliquo tempore sine peccato mortali, et sine sufficienti præparatione ad gratiam; potest enim habere ignorantiam invincibilem fidei, et legem naturalem aliquo tempore servare; alio modo potest adultus accedere ad baptismum in peccato mortali. In priori ergo videtur sufficere voluntas baptismi ad consequendam gratiam et remissionem peccati originalis, quia illi non est necessaria pœnitentia, cum per voluntatem suam non se averterit a Deo, neque converterit ad creaturam; ergo sufficit voluntaria acceptatio gratiæ; hanc vero habet hoc ipso, quod voluntarie acceptat baptismum; nam qui vult causam, vult et effectum ejus, cui, quantum est in se, obicem non ponit. In alio vero homine, qui habet peccatum mortale, hæc voluntas sine alia dispositione non sufficet etiam ad peccati originalis remissionem, non quia ipsum inter se majorem dispositionem requirat, sed quia remitti non potest sine peccato mortali, quod sine majore dispositione remitti non potest, quia oportet ut voluntas, quæ per proprium motum peccato adhæsit, per proprium etiam actum a peccato discedat, ut jam latius ostendemus. Atque hæc sententia et distinctio sic explicata non multum, ut existimo, a veritate discrepat.

ea tamen magis declarare et confirmare oportet.

4. *Quæ dispositio requiratur in peccatore adulto ad baptismum.* — Unde dico primo: in adultis, qui cum peccato originali habent conjunctum aliquod peccatum mortale, præter voluntatem suscipiendi baptismum necessaria est aliqua alia voluntatis dispositio, quæ consistit in aliqua conversione ad Deum cum detestatione seu pœnitentia prioris vitæ. Conclusio hæc jam est certa de fide, eamque docent omnes Scholastici hic, d. 4 et 5, a quibus non discrepat Scotus, ut late ostendunt Vega, lib. 9 in Trident., cap. 15, et lib. 13, cap. 33 et 34; Cord., lib. 1 Theol. q., q. 2; expresse enim dist. 4, quæst. 5, dicit esse fictum, ad recipiendum effectum baptismi, qui accedit cum peccato mortali, vel actu præterito, de quo nullo modo atteritur, vel conteritur; in alio autem loco, licet non satis rem explicet, non tamen docet contrarium, et semper requirit ad effectum sacramenti, quod non sit actu, vel voluntate peccatum mortale; quamdiu autem peccatum prius commissum nullo modo displicet, potest dici esse in voluntate, quamvis non sit in actu; neque etiam existimo, Cajet. sensisse contrarium, licet obscure satis loquatur, ut postea exponam. Probatur ergo conclusio, primo ex Scriptura et Patribus; nam ei, qui peccavit mortaliter, pœnitentia est medium ad salutem necessarium, juxta verba Christi, Luc. 13: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Est ergo hæc dispositio necessaria omnibus peccatoribus, etiam baptizandis, et ideo Petrus, Act. 2, dicebat: *Pœnitenti, et baptizetur unusquisque vestrum.* Et Joan. Bapt. præparans viam ad baptismum Christi, initium fecit a prædicatione pœnitentiæ, et baptismum dabat in remissionem peccatorum, Matt. 3, Luc. 3, ut optime tractat Chrys., hom. 11 in Matt. Hinc August., lib. de Vera et falsa Pœnit., cap. 18: *Baptismus,* inquit, *sine pœnitentia nunquam profuit ei, qui peccavit spontaneè;* et lib. de Pœnit. medicina, cap. 2, ubi habet illam sententiam: *Omnis, qui voluntatis suæ factus est arbiter, cum accedit ad sacramenta fidelium, nisi eum veteris vitæ pœniteat, novam inchoare non potest;* et infra: *Ab hac pœnitentia soli, qui baptizantur, pueri immunes sunt.* Similia docet, lib. de Fide et operibus, cap. 6, et sequentibus, et epist. 48 et 118, et libr. 50 Homiliarum, homil. 27 et 50, et sermone 11 ad fratres in eremo: *O compunctio sancta, sine qua*



*adultis non prodest baptismus, sine qua infructuosa est omnis confessio.* Unde Fulgentius, libro de Fide ad Petrum, cap. 30: *Firmissime tene, et nullatenus dubites, exceptis illis, qui pro nomine Christi suo sanguine baptizantur, nullum hominem accepturum vitam æternam, qui non hic a malis suis fuerit per pœnitentiam fidemque conversus, et per sacramentum fidei, et pœnitentiæ, id est, per baptismum liberatus. Et majoribus quidem necessarium esse, et pœnitentiam de malis suis agere, et fidem catholicam secundum regulam veritatis tenere, et sacramentum baptismatis accipere.* Tandem Concil. Trident., sess. 6, cap. 6 et 7, describens primam justificationem, quæ fit in homine adulto per baptismum in re, vel in voto, docet esse necessariam dispositionem ex parte ejus per detestationem peccatorum et conversionem in Deum. Et sess. 14, cap. 4, docet, pœnitentiam omnino tempore fuisse necessariam ad salutem.

5. *Ubi non est peccatum mortale, non est necessaria aliqua pœnitentia.* — *Aliqua voluntatis conversio ad Deum requiritur in adulto baptizando, qui non peccavit mortaliter.* — Dico secundo: si contingeret, hominem adultum accedere ad baptismum sine peccato mortali, cum solo originali, non esset illi necessaria pœnitentia aliqua, sed sufficeret voluntas ac propositum profitendi et servandi legem Christi. Propono hanc conclusionem sub forma conditionali, quia, moraliter ac regulariter loquendo, casus hic accidere non potest; præsertim, si vera est opinio D. Thom., teneri hominem, quam primum pervenit ad usum rationis, converti ad Deum, ideoque, vel statim peccare mortaliter, si, quod tenetur facere, omittat, vel justificari, si faciat quod tenetur; si autem teneamus (quod fortasse verius est) illud naturale præceptum non statim urgere et obligare, sed aliquod tempus esse admittendum, pro quo possit convenienter, et humano modo impleri; itemque post impletum illud præceptum, quod sine fide impleri potest, non statim sequi justificationem; ac denique (quod consequens est) posse hominem esse aliquo tempore in peccato originali, priusquam, vel illius remissionem obtineat, vel mortaliter peccet; posset quidem eo tempore, et incipere credere, et ad baptismum suscipiendum accedere. Licet hoc verum sit, moraliter tamen vix potest accidere, quia necesse est, illud tempus esse valde breve, quia natura lapsa, non sanata per gratiam, non potest diu se

continere, quin iterum atque iterum labatur; præsertim si sit sermo de homine non illuminato per fidem. Propter hanc ergo causam, non absolute, sed sub conditione loquimur; tamen quia casus non est simpliciter impossibilis, præmittendus non est. Prior igitur conclusionis pars, quod scilicet huic homini non sit necessaria pœnitentia, est expressa Augustini, lib. de Vera et falsa pœnitentia, cap. 8, ubi prius sic absolute scribit: *Pœnitentia baptizandis non est necessaria, sed baptizatis de majoribus et minoribus peccatis pœnitendum est;* quæ verba, quoad priorem partem videntur contraria doctrinæ traditæ in prima assertionem, tamen non possunt in eo sensu interpretari, ne Augustinus sibi ipsi in eodem contextu contrarius sit; statim enim subdit, adulto sine pœnitentia non prodesse baptismum, si spontaneæ peccavit; igitur in illis prioribus verbis loquitur Augustinus de baptismo, præcise considerando id, ad quod fuit per se institutus; nam baptismus primo et per se ordinatus est ad tollendum originale peccatum; quod vero cum hoc sint conjuncta mortalia, quæ simul tollantur, est per accidens; hoc ergo sensu vere dicitur, baptismum per se non requirere pœnitentiam; et nunc esse Augustini sensum, constat ex ratione, quam subdit; scilicet, quia ad tollendum originale peccatum, quod non est propria voluntate contractum, non est necessaria pœnitentia; et eandem doctrinam repetit aliis locis supra citatis. Et ratio est clara, quia pœnitentia proprie est de peccatis ab ipso pœnitente commissis; est enim retractatio, et displicentia prioris voluntatis; quia ergo hic homo, de quo loquimur, propria voluntate non se avertit a Deo et convertit ad creaturam, ideo non est illi necessaria pœnitentia, quatenus proprie significat displicentiam prioris vitæ, aut propositum satisfaciendi Deo pro culpa commissa. Atque hac etiam ratione, si hujusmodi homo esset justificandus per proprium actum absque sacramento, non indigeret dolore aut contritione, sed, ad summum, amore Dei super omnia cum proposito servandi mandata; pœnitentia enim tantum necessaria prædicatur iis, qui propria voluntate mortaliter peccarunt. Jam vero probanda superest ultima pars conclusionis; et in primis, quod huic homini adulto, licet non sit necessaria pœnitentia, sit nihilominus necessaria aliqua voluntatis dispositio ad justitiam, optime probat ratio D. Thomæ hic, art. 9, quia Deus non justificat adultum, nisi consen-

tentem, et voluntate sua justitiam amplectentem. Cum enim hæc justitia includat veram ac propriam amicitiam inter Deum et hominem, utriusque etiam voluntarium consensum postulat, si homo capax illius sit, et potens ad præstandum illum; est ergo necessaria aliqua dispositio, qua hujusmodi homo amplectatur, et baptismum, et baptismi effectum; non est autem exigendus ab hujusmodi homine amor Dei super omnia, ut effectum baptismi consequatur, nam etiam illi, qui mortaliter peccavit, non est necessaria tam perfecta dispositio, ut infra dicemus; ergo multo minus esse potest necessaria ei, qui non peccavit; ergo sufficit illi, aut imperfectus amor Dei ad concupiscentiæ amorem spectans, aut (quod fere idem est) propositum obediendi Deo in omnibus, saltem spe retributionis, vel ob timorem pœnæ, vel denique propter intrinsecam honestatem præceptorum, seu eujuscumque virtutis. Quælibet autem ex his videtur apta dispositio, juxta necessitatem talis subjecti, et aliqua hujusmodi videtur necessaria; nam sicut in eo, qui peccavit, requiritur detestatio prioris vitæ, et propositum recte vivendi in futurum sub aliquo ex prædictis motivis, ita in eo, qui non peccavit, licet non requiratur detestatio, quia hujus necessitas oritur ex priori peccato commisso, voluntatis tamen conversio aliqua ad Deum, vel saltem ad obedientiam ejus, seu mandatorum observationem æque erit necessaria, quia hæc non exigitur ratione tantum peccati commissi, sed per se ad convenienter instituendam novam vitam, et voluntarie amplectendam ipsam justitiam.

6. *Ad argumentum oppositæ sententiæ.* — *Ad Ambrosii testimonium.* — Ex his satisfactum fere est omnibus, quæ inter referendas priores sententias adducta sunt; et circa posteriorem quidem nihil addendum occurrit, præterquam quod hæc dispositio, quam dicimus esse per se necessariam, etiam secluso peccato mortali, non est sola voluntas suscipiendi baptismum, ut ibi significatur; nam hæc voluntas non est formale aut virtuale propositum amplectendi et sequendi justitiam, ac servandi mandata, quia cum illa voluntate baptismi potest esse formalis voluntas contraria justitiæ; ergo oportet aliquam aliam voluntatem addere, præter voluntatem baptismi. Atque hac ratione etiam si velimus priorem sententiam, quæ ad justitiam in baptismo obtinendam requirit solam voluntatem baptismi, explicare de baptismo per se, et

secluso peccato mortali, ut supra de August. dicebamus, adhuc non est vera illa sententia, licet sit minus improbabilis, quia, licet in eo sensu sit verum non requiri pœnitentiam, ut dictum est, non tamen est verum, nullum alium actum voluntatis requiri præter voluntatem sacramenti. Quod si Cajetanus (nam de Scoto jam diximus) arbitratus est, solam voluntatem baptismi esse virtuales pœnitentiam, aut virtuale propositum servandi justitiam, falsa est ejus sententia; tamen, quia hoc non aperte dicit, posset exponi, ut per propositum emendæ intelligat propositum resarciendi injuriam Deo factam per proprium actum; nam dicit in hoc proposito reperiri formalem rationem pœnitentiæ; constat autem, rationem formalem objecti pœnitentiæ esse resarcire injuriam Deo factam; hujusmodi autem propositum revera non est ad baptismum necessarium, quia ibi non oportet, ut homo intendat, quod in se est facere, ad compensandam divinam injuriam; sed solum consequi remissionem culpæ per baptismalem gratiam. Nam si displicentia peccatorum est ibi necessaria, non tam est ad satisfaciendum Deo, quam ut subjectum sit convenienter dispositum ad effectum gratiæ et remissionis peccati. Et quoad hoc, verum est, quod Cajetanus ait, voluntatem suscipiendi baptismum in remissionem peccatorum esse virtuale propositum emendæ pro peccatis quoad culpam, et quoad pœnam, ratione tanti beneficii, quantum est baptisma; quod intelligendum est, quando illa voluntas est ita efficax, ut secum afferat reliqua omnia necessaria ad hoc beneficium obtinendum. Atque hunc sensum confirmat locus Ambrosii, quem Cajetan. adducit; nam solum ibi negat requiri satisfactionem pro peccatis remissis in baptismo, quia omnia integre et gratis remittuntur, quoad culpam et pœnam, et consequenter etiam negabit, requiri voluntatem satisfaciendi formaliter ac proprie loquendo; non tamen inde fit, non esse necessariam displicentiam peccatorum, ut convenientem dispositionem ad justitiam. Non præmittam autem advertere, illud testimonium non videri esse Ambrosii; exponit enim ibi verba Pauli dicentis, dona Dei interdum esse sine pœnitentia, in hoc sensu, quod Deus aliquando dat sua dona sine pœnitentia, quæ expositio est indigna Ambrosio; nam planus sensus est, Deum non pœnitere eorum donorum, quæ suis confert creaturis. Ad aliud Ambrosii testimonium, respondetur primum,